



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

n. 46.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

» more, deuotione, & facilitate: diuidendo Oratorium hoc in tres partes fuit  
 » tria altaria; in fronte est Sanctissima Trinitas, à sinistris Tabernaculum cum  
 » Sanctissimo Sacramento; & ultimo loco Sanctissima Virgo, cum Sancto  
 » Iosepho, & Domino meo *Iesu* in medio porrigente utrique manus. Animâ  
 » meâ cum omnibus potentijs meis, Memoria, Intellectu, Voluntate, & quan-  
 » tus sum ego, prostratus in genua, facie & capite in terra, dico, *Benedicta sit*  
 » *& laudetur Sanctissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, &*  
 » *Sanctissimum Sacramentum, & Sanctissimum nomen Iesu, & Sanctissima*  
 » *Virgo Maria, Mater Dei, Domina mea, & omnium que creata sunt, sponsa*  
 » *Sancti Ioseph;* ore animæ meæ, & corporis huius peccatoris, & sensibus uni-  
 » uersis, osculando pedes singulorum, eo modo prostratus in utramque faci-  
 » em, sepius repetendo *Iesu, Maria, Ioseph,* & in fine, *Gloria Patri, & Filio,*  
 » *& Spiritui Sancto, & Virgini Mariæ.* Quod à multis annis soleo secretò a-  
 » pud me dicere, in fine omnium Psalmorum in officio diuino & in sacro, &  
 » vbicumque dico *Gloria Patri,* Do etiam gloriam Virgini Mariæ, Matri meæ  
 » & Dominae. Alias deuotiones, quæ erant multæ, & digestæ per an-  
 » nos, mentes, & dies, & loca in quibus illis utebar, cum nominibus omnium  
 » Sanctorum quorum diebus erant affixæ, & causis propter quas illis utebar,  
 » combulli propria manu in pago omnium Sanctorum, de quo valde do-  
 » leo; ab illo tempore imperfectè vñus sum illis, & perseuero vti illis prout  
 » possum. Quantam verò cum his consuetudinem habuerit videre est in  
 » alio indice, in quo memorat Sanctum diei in quo natus, & eius in quo exiuit  
 » Angliâ, quo portum tenuit Vianæ, quo soluit Pernambucum & quo intra-  
 » uit, eorum etiam quorum memoria agebatur diebus illis omnibus quibus  
 » nauigauit; & quo rursus relicto Pernambuco admissus est in Societatem &c.  
 » Et denique, inquit, omnes Sanctos in quorum diebus contigit me quo-  
 » quam proficisci rogo & per omnem vitam meam rogabo, donec anima ista  
 » mea à corpore euellatur, vt mei velint misereri, & pro me orare Dominum  
 » Deum nostrum. Idemque peto & petam ab omnibus Sanctis quorum  
 » habeo reliquias, aut imagines; & Sanctis etiam erga quos affectu peculiari  
 » feror, & qui mihi sorte contigerunt, vsque ad mensẽ præsentem anni 1651.  
 » Is erat tertius ante felicem eius ex hac vita transitum. Inter Sanctos autem  
 » quos studio singulari colebat, numerat *Thomam Cantuariensem, & Edmundum*  
 » *Campionum* cum omnibus in genere martyribus Magnæ Britannia; illos et-  
 » iam qui in India, & qui in Iaponia passi sunt, & *Magnum Iosephum de An-*  
 » *chieta;* qui licet omnes non sunt eo titulo publicè ab Ecclesia cohonestati, eo-  
 » rum tamen intercessionem sibi vtilem fore existimabat cum priuatim inuo-  
 » carentur.

XXXXVI. Is verò qui tam multos susceperat impensè colendos  
 necesse erat vt & magna vteretur contentione animi, & temporis pluri-  
 mum impenderet precationi, vt mirum non sit narrari, in more quotidiano  
 illi fuisse secundâ post noctem mediam horâ surgere cum in Collegijs esset,

& ad sextam perseverare in oratione, genibus semper incumbentem manibusque ad cælum erectis; sæpe etiam noctes integras inlumere. Tum si officium diuinum percurrendum esset non exiguam in illo moram trahere, antequam inchoaret proponendo sibi quidpiam ex passione Christi Domini, hoc ordine: Ad matutinas preces, confictum in Horto vsque ad Petri negationem: Ad Primam: ea quæ acciderunt apud Herodem & Pilatum; Ad Nonam; illa recolebat quæ in cruce passus est vsque ad mortem: Tum in vespers & Completorio, officia piorum circa corpus, & sepulturam. Sacrosanctium Missæ Sacrificium singulari attentione peragebat; dicebatque multa sibi in eo diuinitus ostendi, & donari: utebaturque precibus particularibus ad Spiritum Sanctum directis ad impetrandam debitam cognitionem tanti Mysterij, & congruam animi humilitatem. Quocunque verò loco precaretur, totus in Deum & diuina absorptus nulla succedentium rerum nouitate, nullo occurſu dimouebatur: quæ attentio in familiarem cum proximo consuetudinem se diffundens, & Deum illi ante oculos mentis præsentem semper adesse monstrabat, & colloquia non nisi cælum redolentibus floribus adpersa proferebat, neque continere se poterat frequenter ardor internus quin improviso erumperet in voces & suspiria, vel cum super mensa quidpiam legeretur, vel cum obiret ipse domum; ita ut quærentibus indicio hæ voces essent ubi locorum esset reperiendus; sapiebant autem plerumque vel amorem accensum Diuinæ Majestatis, & pro beneficijs acceptis gratitudinem, vel reuerentiam erga Beatissimam Virginem (quam affectuosissimè sub titulo, *Matris sue* & *Matris Admirabilis* venerabatur) vel denique sui ipsius absolutissimū contemptum, qui quantus esset ex dictis superius facillè dicitur, & ex Epithetis quæ dum de se loquebatur illi erant familiaria iumentis, putredinis, sordium, seditatum, indigni cuiuscunq; boni, nihil à quoquam merentis præter contemptionem: eaque de causa facillè agnoscebat natum se esse in Anglia, inter hæreticos, alienigenam, indignum qui inter homines Religiosos uiueret, ex mera ipsorum erga Deum caritate, erga se patientia sustentari. Expendebat seriò non solum quid esset secundum corpus, sed multò magis animæ cæcitatem, procliuatam ad frequentes lapsus, peccantium miserias; inter quos se reputans grauissimum exclamabat, *Væ mihi misero peccatori: quotidie me sentio peiorem, & magis abominandum in omnibus; magis quotidie ad obsequium Dei Domini mei tepidum, & negligentem in seruandis regulis; quapropter ex intimis visceribus & omni qua possum contentione rogo Reuerentiam Vestram ut mei misereatur, & orare velit pro me Deum Dominum nostrum, & Beatissimam Virginem; certus sum etenim quod peccauerim, incertus an sim veniam consecutus.*) Laudatores suos numerabat inter pessimos inimicos, Opificem, qui septem cruces ex ferro aculeatas (nesciens quo fine) fabricarat, acerrimè reprehendit, quòd cum reſciuit non tacuisset. Gubernatorem Fluminis Ianuarij excusantem se quod, nesciens quis esset, tardior fuisse

fuiſſet ad inuiſendum, abductum humaniter à cætu cæterorum, rogauit impentè vnum vt concederet, nimirum, vt ſui in poſterum nullam rationem haberet, neque inuiſeret, nè daretur occasio exiſtimandi aliquid ſe eſſe cùm miler peccator ſit, indignus quem quiſquam hominum aſpiciat. Locum poſtremum frequentiffimè occupabat inter illos etiã qui non erant Sacerdotes; monituſq; aliquando à Superiore vt vel ea de cauſa ſuum caperet, nè fratribus moleſtiam crearet: "Et quis ſum ego, inquit, nonne iumentum? & vilior iumento?" Promptiffimè inſeruebat alijs, libentiſſimè vlceroſis, ſumma cum alacritate vniuerſis. Quanta diligentia, & quo labore omnibus omnia factus eſt, vt cum Apoſtolo omnes lucrifaceret, vt intelligatur, longam opus eſſet texere Hiſtoriam de natura locorum, de cæli ſolique temperie, de barbaris gentium moribus, de itinerum longitudine, de horridarum vaſtitate ſyluarum, de montium peragrandorum immani altitudine & aſperitate, de veneficarum prætigijs, de humana carnis vorandæ innata illis gentibus auiditate, de conſuetorum per Europam commodorum inopia, ſeu quæ ſunt ad victum ſpectes, ſeu quæ ad veſtitum atque habitationem, quibus omnibus tolerandis & ſuperandis *Almeida* enituit induſtria atque conſtantia.

XXXXVII. Prima eius ſtatio poſt Sacerdotium ſuſceptum fuit oppidum *Sancti Pauli*, ſic dictum ab Apoſtolo quoniam in die eius Conuerſionis primũ eo loci celebratum eſt Sacroſanctũ Miſſæ Sacrificium, operante *P. Iosepho Anchietæ*: cui cùm noſter *Almeida* fuiſſet olim diſcipulus, tanti viri recordatione non parum & recreabatur, & verò animabatur ad labores illi Miſſioni congruentes. Circumiacentes Indorum Pagos ab *Anchietæ* collectos percurrerebat in orbem pedes, nixus baculo, ad victum contentus quibulcumque quas vltro fundebat terra herbis atque radicibus, & ad potum melle Sylueſtri aqua miſto. Inſtruebat, Baptizabat, animas curabat & corpora, vt in nullo deeſſet milero populo omnibus indigenti. Inter teſtes iuratos reperiuntur qui affirmant nunquam vidiffe ſe *P. Ioannem de Almeida* in lecto ſtratum; maximam verò noctis partem notaſſe tranſigentem in oratione, vel ſedentem, vel nixum genibus. Alij in ſex vel ſeptem annis quibus illum in Miſſionibus fuerant comitati nunquam conſpexiſſe veſcentem aut carne aut piſce, contentum obuijs herbis, robuſtum tamen & validum, & magna conſtantia & laborum patientia vrgentem opus: nũquam vſum eſſe equo aut reti, ſæpe depositis tibialibus impleſſe calceos arena quò ſe magis affligeret, tam parum ſui erat amans dum alteri nulli ſtudebat eſſe aut moleſtus aut grauis. Iſthic cùm ſe totis octo annis laborioſum, de quæ ſalute vniuſcujuſque procuranda perquam ſollicitum atque induſtrium probaſſet, ad nouum opus & arduum auocatur, vt quam ſolertiam atque ſedulitatem in collectis populis excolendis ac fouendis adhibuiſſet, eandem in colligendis, atque ad humanitatem formandis poneret. Est à Sancto

Miſſiones.  
Ad oppi-  
dum San-  
Pauli  
Lib. 3. c. 7.

Ad Patos  
Li. 4. c. 10.